



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

De gratia quam habere debet homo Deo pro beneficio redemptionis, 17

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

## C A P V T X V I I .

*De gratia, quam habere debet homo Deo pro beneficio redemptionis.*

1. **O** Quantum sumus tibi debitores Domine Deus noster, tanto redempti precio, tanto salvati dono, & tam glorioso adjuti beneficio! O quantum à nobis miseris es timendus, amandus, benedicendus, laudandus, honorandus & glorificandus; qui nos sic amasti, sic salvasti, sic sanctificasti, sic sublimasti? Tibi nempe debemus omne quod possumus, omne quod vivimus, omne quod sapimus. Sed quis habet quicquam non tuum? Tu Domine Deus noster, à quo bona cuncta procedunt, propter te & nomen sanctum tuum da nobis de bonis tuis, ut de bonis ac datis tuis serviamus tibi, & in veritate placeamus, atque debitas quotidie laudes rependamus tibi pro tantis beneficiis misericordiae tuae.

2. Non enim aliunde possumus tibi servire, neque placere, nisi de tuo munere. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum defursum est, descendens à patre luminum: apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Domine Deus noster, Deus pie, Deus bone, Deus omnipotens, Deus ineffabilis, & incircumscriptae naturae: Deus institutor omnium rerum, & Domini nostri Iesu Christi Pater, qui eundem dilectum filium tuum Dominum nostrum dulcissimum misisti de sinu tuo ad publicum proficuum nostrum, suscipere

vitam nostram, ut nobis donaret suam, esset-  
que perfectus Deus ex te Patre, & perfectus  
homo ex matre: totus Deus & totus homo,  
unus idemque Christus aeternus & tempora-  
lis, immortalis & mortalis, creator & crea-  
tus, fortis & infirmus, victor & victus, nutri-  
tor & nutritus, pastor & ovis, temporaliter  
mortuus, & tecum vivens in aeternum: suis  
dilectoribus vitæ municipium promittens,  
suis discipulis dixit: Quodcumque petieritis  
Patrem in nomine meo, dabit vobis.

3. Per ipsum summum Sacerdotem &  
verum Pontificem, & bonum Pastorem, qui  
se tibi obtulit in sacrificium, ponens animam  
suam pro grege suo, te rogo per ipsum, qui  
sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro  
nobis, redemptorem & advocatum nostrum:  
pietati & bonitati tuæ supplico, clementissi-  
me & amantissime & benignissime amator  
hominum Deus; ut des mihi cum eodem  
filio tuo & spiritu sancto te in omnibus be-  
nedicere & glorificare, cum multa cordis  
contritione & lacrymarum fonte, cum mul-  
ta reverentia, & tremore. Quia quorum una  
est substantia, unum est & datum.

4. Sed quoniam corpus, quod corrumpi-  
tur, aggravat animam: excita (quæso) tor-  
porem meum tuis stimulis; & fac me strenue  
perseverare in præceptis & laudibus tuis die  
ac nocte: Tribue, ut concaleat cor meum  
intra me: & in meditatione mea exardescat  
ignis. Et quia ipse tuus unicus natus dixit:  
Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me,  
traxerit eum; &: Nemo venit ad Patrem,  
nisi

nisi per me : obsecro & suppliciter rogo ,  
 trahe me semper ad ipsum ; ut ipse me tan-  
 dem perducatur ad te illuc , ubi ipse est in dex-  
 tera tua sedens : Vbi est sempiterna vita ,  
 sempiternae beata : Vbi est amor perfectus ,  
 & timor nullus : Vbi est dies aeternus , &  
 unus omnium spiritus : ubi summa & certa  
 securitas , & secunda tranquillitas : & tran-  
 quilla iucunditas , & iucunda foelicitas , &  
 foelix aeternitas , & aeterna beatitudo , &  
 beata tui sine fine visio & laudatio : Vbi tu  
 cum illo , & ille tecum in communione  
 sancti Spiritus , aeternaliter ac sempiternali-  
 ter vivis & regnas Deus , per omnia saecula  
 saeculorum. Amen.

## CAPVT XVIII.

*Oratio devotissima ad Christum.*

1. **S**pes mea Christe Deus , hominum tu  
 dulcis amator ,  
 Lux , via , vita , salus , decor , & decus omne  
 tuorum :

Omnia pro quorum voluisti ferre salute ,  
 Cernito vincla , crucem , vulnus , mortem at-  
 que sepulchrum.

Post tres inde dies devicta morte resurgens ,  
 Discipulis visus , nutantia corda reformans ,  
 Luce quaterdena caelorum summa petisti.  
 Vivis in aeternum , nunc & per saecula re-  
 gnans.

Tu es Deus meus vivus & verus , Pater  
 meus sanctus , Dominus meus pius , rex meus  
 magnus , pastor meus bonus , magister meus  
 unus , adiutor meus optimus , dilectus meus  
 pulcher-